

Transcriere întregită.



redictus magister Incipit prologus in gesta Hungarum.
 ac quondam bone memorie gloriosissimi Bele regis
 Hungarie notarius N. suo dilectissimo amico, uiro
 uenerabili et arte litteralis scientie inbuto, salutem
 et sue petitionis effectum. Dum olim in scolari studio
 simul effemus et in hystoria troiana, quam ego cum summo amore
 complexus ex libris Darethis Frigij ceterorumque auctorum, sicut a ma-
 gistris meis audiueram, in unum uolumen proprio stilo compilaueram,
 pari uoluntate legeremus, petisti a me, ut sicut hystoriam tro-
 ianam bellaque Grecorum scripseram; ita et genealogiam regum
 Hungarie et nobilium suorum, qualiter septem principales persone,
 que hetumoger uocantur, de terra scithica descenderunt, uel
 qualis sit terra scithica, et qualiter sit generatus dux Almus,
 aut quare uocatur Almus primus dux Hungarie, a quo reges Hunga-
 rorum originem duxerunt, uel quot regna et reges sibi subiugaue-
 runt, aut quare populus de terra scithica egressus per ydioma alie-
 nigenarum Hungarij et in sua lingua propria Mogerij uocantur, tibi scri-
 berem. Promisi et enim me facturum; sed aliis negotiis impeditus, et tu-
 e petitionis, et mee promissionis iam pene eram oblitus, nisi mihi per litteras
 tua dilectio debitum reddere monuisset. Memor igitur tue di-
 lectionis quamuis multis et diuersis huius laboriosi seculi impe-
 ditus sim negotiis, facere tamen aggressus sum, que facere iuf-
 sisti, et secundum tradiciones diuersorum hystoriographorum, diui-
 ne gratie fultus auxilio, optimum estimans, ut ne posteris in
 ultimam generationem obliuioni tradatur. Optimum ergo duxi, ut
 uere et simpliciter tibi scriberem, quod legentes possint agnoscere,
 quomodo res geste essent. Et si tam nobilissima gens Hungarie
 primordia sue generationis et fortia queque facta sua ex falsis fa-
 bulis rusticorum uel a garrulo cantu ioculatorum quasi sompnian-
 do audiret, ualde indecorum et satis indecens esset. Ergo potius
 ammodo de certa scripturarum explanatione et aperta hystoriarum
 interpretatione rerum ueritatem nobiliter percipiat. Felix igitur Hun-
 garia, cui sunt dona data uaria. Omnibus enim horis gaudeat
 de munere sui litteratoris. Quia exordium genealogie re-